ILLVSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO VIRO DD. COSMÆ CLAVSSÆ CATALAVNENSI ANTISTITI ET FRANCIÆ PARI A. LE GROS S. P. D.

EA ſemper inualuit conſuetudo, Antiſtes Reuerendiſſime, apud eos qui ſcientiam aliquam profitentur, vt ſi ſpecimen ſuæ artis aliquod ex hibeant, illud ſub illuſtris, & de literis optimè meriti cuiuſdam viri auſpiciis in lucem proferant. Quod dum cogitarem, & de edendis his Medicis concertationibus, ac præſtanti cuidam viro conſecrandis eſſem ſolicitus, inter alios qui ſeſe offerebant, eas tibi, qui omni genere virtutum excellis, dicandas cenſui: non tam vt gloriam ex tuo nomine illuſtri aucuparer, quam vt officio meo ſatisfacerem, & Craſſi fortaſsè obliuione ſepultum nomen & memoriam apud te excitarem. Noſti quem intelligo. Hic eſt parens meus, quem per multos annos tum animi, tum corporis tui cultui in medendo addictum, & fidele præſtantem officium ad extremum vſque vitæ ſpiritum expertus es. Cuius impreſſis veſtigiis inſiſtens, quod non potuit morte præuentus, pro tuis quibus tibi deuinctus erat beneficiis, exequi, illud ego ſua proles pro meis exiguis viribus efficere, meumque in omnibus obſequium præſtare magno honori ducerem. Tua virtus, tua nobilitas, eaque qua maximè polles doctrina, & in literatos amor ſingularis ad hoc me hortantur, & impellunt. Quæ cum in te perſpicua ſint, Soli ipſi aſtrorum moderatori lumen addere eſſet de iis aliquid velle dicere. Quid enim notius, quid illuſtrius Marchalmontiorum familia vnde originem ducis? quæ & belli & pacis artibus ita ſemper floruit, vt ſuæ virtutis paſſim clareant monumenta. Adeo vt Timanthis eximij pictoris exemplo, magis deceat ſuas laudes ſilentij velo tegere, quam indignè & intempeſtiuè prædicare. Sed cùm ſis Theologus, quid Theologiæ cum Medicina? Illa Dei arcana ſcrutatur, hæc vniuerſæ Naturæ ſecreta perquirit: quæ, ſi rectè aduertis, eadem eſt cum ipſo ſummo rerum Opifice: vt etiam tum ſummi Philoſophi, tum Medici tradiderunt. Vnde magnus ille Pan apud poëtas commentitio fabularum velo veritatem inuoluentes, & naturæ Author & Natura ipſa dicitur. illa, inquam, animæ: hæc corpori medetur. Eſt namque ἡ φυσὶς τȢ ἀνθρώπȢ πάντων νοσημάτων πάμφορος. Hinc Medici Dij tutelares, & medicamenta, quibus ad demulcendas hominis miſerias & profligandos morbos vtuntur, θεῶν χεῖρες à quodam Medicinæ principe non minus verè quam eleganter appellantur. hæc vtriuſque ſcientiæ ſocietas, hæc communis coniunctio. Nec omittam quod Theologi, Medici, & Vniuerſi nomen obtines. Quid enim aliud vox κόσμος ſonat? quaſi vt magno Mundo elementorum apta diſpoſitio, & Cæli & ſyderum ſplendor ornatum adferunt, ſic tu μικρόκοσμος virtutum ornamento ſplendeas. Ne mireris igitur, Antiſtes digniſſime, quod has iatricas poſitiones tibi offerre auſus fuerim. Hanc enim occaſionem ſine ingtati animi ſuſpicione prætermittere non potui. Itaque hunc exiguum noſtrum laborem tuis meritis indignum & grato animo, & benigno vultu accipias, te vehementer rogo. Sic me obſequentiſſimum habebis, & ad curſum meæ nauigationis in hoc vaſto, profundo, & ſcopuloſo Medicinæ mari fœliciùs perficiendum, aſpirante leni tuæ benignitatis aura, incitabis. Tuas manus oſculor ſuauiſſimas. Vale. E Muſæo noſtro Lutetiano.

AD CARDINALITIAM QVÆSTIO MEDICA.

MATVTINIS DISPVTATIONIBVS AGITANDA IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS 2. MAII M. GVILLELMO DE BAILLOV DOCTORE MEDICO MODERATORE.

An inflammationum & febrium phlebotomia ἡγεμονικόν.

NIHIL genitum caret morbis. Homo, quantulus eſt, mille morborum ferax. Id fato, à genitiuo principio. Ad id facit caſus & externa. Sanitas non infrequens, ad alium non transfertur, morbus frequentior & transfertur. Aliis comes eſt aſſiduus, vt hypochondriacis ſemper querulis, & iure. Sanitas lubrica eſt, in ſymmetria & actionum bonitate reſidet. Nil habet veram σύγκρησιν. Nec homo ſimplex, nec cautus, nec fortis, nec timidus, nil tamen naturam obſcuram tranſmutat. Humoribus multa in mores licent. Ex morbis alij ſunt ætatis, ſexus, loci. Puer conuulſionum ferax, has ſequens ætas diſcutit: vt ſenectus, ipſa morbus, iuueniles morbos eleuat. Mulierum & virorum morbi longè differunt. O quantum poteſt vnus vterus? Montium incolis ſtruma accola eſt, & comes. Hanc non tam frigus aquæ quam mercurius parit, fundit enim & non effundit: vt parit, ita & curat. Tandem per traducem ad prolem: vt hæreditas venit. Hæmorrhoïs viro purgatio, mulieri morbus. Arthritis olim mulieri pepercit, nunc familiaris. an quia mutata mulierum natura? non. ſed vita. Licentiam virorum in victu æquant, æquant & morbos. In homine eſt pingue, glutinoſum, plus calidi & humidi. Id ſanguis eſt, vbicunque punctio ibi ſanguis: ni adſit metus aut ſqualor. Sanguis ad ſapientiam facit & ad εὐεξίαν, ſi quantus, ſi qualis eſſe debet, ſi ſyſtaſis adſit. Biliosi ſunt macri quia abeſt dulce. Si acer, mordax, ichor, labat ſanitas dolorum & morborum eſt Ilias.

FEBRIS eſt communis hoſtis. Nulli ætati, ſexui, regioni parcit. Congener tutior. Æthiopem tamen necat per ἀνασοιχείωσιν. Alia in ſpiritu, parte ſolida, in humore alia. vbiuis ſit, morbus eſt. Ni cor afficitur febris non eſt. Differentia eſt pro humorum natura: ferè tamen à bile ſunt. Hæ non periodo, ſed ingenio humorum æſtimantur. Duplex tertiana quotidianam ementitur. Quædam quartanæ curantur vt tertianæ. Alias attingere nefas, ſed Cancri modo alendæ ſunt. Lac & balneum ſufficit. Solus Medicus iudex. Si irritantur, periculum, mors. Febres longæ nouandæ ſunt, imo augendæ vt noui morbi ſit principium & quod futurum eſt curetur, quia quod iam eſt non curatur. Quædam annuerſariæ ſunt, menſtruæ aliæ, aliæ in natalem alicuius diem redeunt. Eſſentiales, ſymptomaticæ aliæ & plurium annorum. Omnes ſunt continuæ. Hæ virgines decolores etiam ſeptennes adoriuntur. Parit has fortis obſtructio, cacochymia cachexiæ prodromos, cordis & arteriarum phlogoſis, vitium ſplenis, labes & tabes interna, vt vix explicabilis ita vix curabilis.

SANGVINE dulci, halituoſo, pax, ſanitas, vigor mentis. Ex dulci enim fit nutritio. Mala qualitas ſeditionem affert. Hinc orgaſmus, ſi egreſsio humorum è vaſis intus foris & foras, abſceſſus phlegmonodes, phlogoſes. Iuuat impulſio, tractio, collectio à latente labe. Per ætates ſanguis mutatur: hinc ſanguinei fiunt melancholici, candor morum fit verſutia. Sic ſanguis morboſus fit φύσει καὶ νόσῳ. Et in eodem Socrate duplex eſt Socrates more & humore mutato. Raptus in caput phrenitidem facit extra vaſa: in vaſis paraphrenitim. In thorace pleuritides, peripneumonias tertiano modo exacerbatas. Si foras exit, tumores etiam parit, & crudelem rheumatiſmum, habitu imbecillo, viſceribus validis. In artus furibundè inuolat. vt laſsitudinis phlegmonodis verus eſt æmulus, ita falſus arthritidis imitator.

VIX dicetur mala largiùs Natura an remedia genuerit. Multi artem vincunt morbi. vt ſanguis innumerorum morborum parens, ita correctus, aut excluſus eorum vindex. victus corrigit, phlebotomia euacuat. Hic lucet Medici feſtinata tarditas. αἱμοφοβία vt necat, aut morbum protrabit, ſic φιλαιματία animam educit. Ex metu quidem ſecuritas, ſed audax prudentia præualet. Licet febris & lac & ſanguinem minuat, omni tamen febri, quia phlogoſis eſt, ſecta vena conuenit. frequens iuſculorum vſus in putridis nocet, putrefacit, ſcyna conferret. Morbillis puerorum ſtatim phlebotomia prodeſt, propagationem intercipiens. In bilioſiſſima febre ad ſyncopem tuta eſt. In decoloribus virginibus tuta ob ſanguinis φθορὰν καὶ λύσιν. Has quidem iuuat phlebotomia, ſed modo inexplicabili ſummum remediorum virginitatis reſolutio cenſetur.

INhibere fluxionem, euacuare partem, ſyſtrophem impedit. Præclarè id facit venæ ſectio: citò & crebrò in thoracis affectibus vſurpanda, crebriùs ſi malè thorax formatus. Idem in viſcerum phlegmone. Etiam quater die in thoracis inflammatione. Siniſtra baſilica in peripneumonia laudatur. In ſyſtrophes metu ſubinde euacuandum. In diem dilatio relapſum, ſuppuratum, aut mortem accerſit. Cautio ſit ne fiat pus. Hoc licet opus naturæ, contra naturam eſt. Dum euacuatur ſyncopem facilius affert quam ſanguis naturæ theſaurus, etiam pari quantitate. Cathartica morbum reddunt ſiccum. Hæc ſiccitas mors eſt, maxime in ore laborantium è thorace, cum humiditas ſit ſalus. Liquant partem phlegmones augent. Si dolor lateris ſymptoma ſit, febris eſſentialis, interponatur purgatio in cacochymis. Arteriotomia phrenitidi prodeſt. Sectio malleolorum iure & loco facta vtilis: poſtponenda ſectioni baſilicæ in teſtium tumore quem ſuppreſſa Gonorrhœa excitarit. Sæpè multum doloris & periculi, parum vtilitatis affert; magis debilitat quam brachij. Quin & infœcunditatis cauſam eſſe ſummus præceptor notauit. Rheumatiſmum vt mulcet frequens phlebotomia, ſic catharſis aſperat. Vt in inflammationibus catharſis velut malorum prouocatrix, ſecundum locum aut nullum: ſic phlebotomia eorundem propulſatrix, principem tenet.

Ergo inflammationum & Febrium phlebotomia ἡγεμονικόν.



PROPONIT ANDREAS LE GROS PARISINVS ANNO DOMINI 1602.